



sunt illi petrae impressa, ita, ut manuum et brachiorum, capitis et pilorum, pectoris et vestimentorum figuram perfecit. Nec potest suspicari, quod aliqua arte vel instrumentis sint illa lineamenta facta, sed pro illo momento, quo Dominus anxius parietem incurrit, figuram recepit supra artem et industriam formatam, ac si natura ab initio formam illam lapidi praestitisset. Est autem petra illa adeo dura, quod incisioni videtur inepta, et nullis ferramentis quidquid deponi potest. Circa hunc igitur parietem prostravimus nos, et orationibus dictis surreximus, et singuli unus post alium accessimus, et sacrae impressioni corpora nostra, prout potuimus, induximus, brachia, manus, vultum, et pectus concavitati imponentes, nos ipsos ipsi figurae commensurantes. Haec ut scripsi, Deum testor, sic in veritate vidi in mea prima peregrinatione, et me ipsum in vestigia illa applicavi, quae tamen virum multo longiorem ostendebant, quam ego sum. Et de hoc facit mentionem Frater Burcardus, Ordinis praedicatorii, qui ante CC. annos multis temporibus in terra sancta deguit, et ipsam terram sanctam per totum lucide et clare descripsit, et hanc, de qua loquor, figuram petrae vidit, et eam describit. Sed quid nunc dicam, prorsus ignoro, et erubesco, miror cum stupore, quid acciderit illa petra, nec suspicari possum. Nam in hac mea secunda peregrinatione ad omnia loca praefata ducti fuimus, petram autem illam nec vidimus, nec mentionem de ea audivimus, et ita Domini mei milites cum aliis peregrinis recesserunt, quod nihil de illa petra audierunt. Post eorum recessum, cum iam quietior fieri posset locorum visitatio, ego solus aliquoties ad montem Oliveti transivi, petram illam diligentissime in loco Gethsamini quaesivi, supra et infra, juxta et circa, sed minime inveni. Quodam die assumsi mecum dominum Hainricum de Schomberg, militem, virum strenuum, et ad experiendum diversa paratissimum, quia libentissime figuram illam vidissem. Et ambo supra et infra quaesivimus, sed nihil de hoc invenire potuimus. Alii etiam milites per me instigati vagabantur per clivum (147 A) montem ad quaerendum, sed in vanum laborabant. Duxi etiam mecum fratres juvenes montis Syon, qui cum desiderio mecum discurrebant, sed nihil perfecimus. Imo dicebant, se numquam aliquid de hoc audivisse. Adii etiam

397

395

401

391

406

386

446

346

496

296

Ende

Anfang